

PRVDENTIAM
DIACRITICAM
SVPERIORVM SVFFRAGIO
VLTIMVM
PRO LOCO
IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM
ORDINE OBTINENDO
DISSERENS
SISTIT

M. IOH. ANDREAS FABRICIVS
cId Idcc XXIII. V. JVNII.

LIPSIÆ,
LITTERIS IOH. ANDREAE ZSCHAV.



a. XXXI. 04.

Ill. diss. A
64

HANC
DISSERTATIONEM
AMICIS MEIS
SACRAMESSE
VOLO.





On opus erat, vberius explicare, quibus inductus ratio-
 nibus, meas de retegendis simulationibus & dissimu-
 lationibus meditationes & collectanea, VOBIS prae-
 reliquis O ET PRAESIDIUM ET DVLCCE
 DECVS MEVM, publice obtulerim. Tam ca-
 ris capitibus, quibus me meaque ingenue, omnibus viribus, omni
 tempore, penitus dicare non intermitto, vti vel sola interdum volun-
 tas mea sufficit, ita voluisse etiam, pro ratione stare poterat. Inte-
 rim cum forte alii rationes quasdam scire cupiant, illi praecipue, quo-
 rum abiectus & profligatus animus, ex vnionibus finum eligit, eoque
 circumferendo delectatur (cum honesti ex fimo vniones sibi seruent)
 ne contortum alienis curis cerebrum inquirendo obtundant, paucas
 addam. Dum igitur VOBIS mea offero, inani titulorum strepitu
 superfedere & ancipitem inter nomina magnorum viam euitare quam
 optime possum. Noui VOS, nostis me, nouimus vanitatem titulo-
 rum & vsum, vnumquemque suo metiri modulo studemus, prout rei
 veritas, tituli vanitas, communis reliquorum opinio id postulare vi-
 dentur, at inter nos fyрма hoc verborum cessat. Deinde excusatio-
 nem afferre aut temeritatis aut libertatis aut errorum me non oportet.
 Amicitia nostra pares nos ex parte inuenit, ex parte fecit, in ea
 nihil temere, nihil timide, nihil praepostere aut quod excusatione in-
 digeat agitur. Et risimus saepe morem scriptorum, quando in ante-
 loquio statim, errorum adhuc committendorum veniam, quasi in tor-
 toris equuleo constituti sibi expetunt, qui tamen, si forte maleferia-
 tus censor errores virgula censoria notet, absque omni errorum labe
 immunes esse, contendunt. Non tam in me iniurii estis, vt omne
 humanum a me alienum, meque omnibus numeris absolutum velitis,
 nec tam maligni, vt nullius plane frugis hominem me iudicetis.
 Multo minus est, cur causas huius dedicationis fingam. VOS amo,
 VOS veneror, VOBIS delector, me omnia VOBIS debere profiteor,
 de hoc iam VOBIS constat, & alii siue id sciant & credant siue
 minus, nobis perinde erit. Quod si cuiusdam, quem intimius non
 noui, nomen auro splendidius, leuidensi huic opellae praeposuissem,
 ipsique hoc quidquid est muneris obtulisset, nonne tota mente atque

omnibus artibus contremiscere fecissem? Poteram enim aureo mae-
 cenati videri, cuniculum in aerarium ipsius agere, aut fauorem quan-
 tius pretii captare, aut parum inhumane me ipsi obtrudere. His
 vero rebus vestram virtutem & erga me, timidiorem alias saepius
 quam par est, non moueri scio, nec moris est inter vos variis in fa-
 ciem alterius decantatis laudibus ipsum titillare, vti solent, qui dein-
 ceptis fannis posticis, cuiusuis famam lacerare sibi gloriae ducunt. Sed
 vt dicam, quod res est, haec potissimum me, vt vobis hanc consecra-
 rem dissertationem, impulit, ratio: quantum V O S amo, tantum odi
 illos, quos simulando & dissimulando nos decipiendi lubido incessit.
 Jam V O B I S ad omnia vtilia quae a me proficisci queunt & commo-
 da me obligatum esse censeo & obligari me facile patior, illos igitur
 omni nisu confundere, honestos vero inter quos iam vos noui contra
 illorum fraudes excitare, tueri, armare animus est. V O B I S ergo
 opusculum hoc offero o S V A V I S S I M I in publicum simul & certif-
 simum amicitiae meae monumentum, quam numquam intermoritu-
 ram, numquam interruptam, numquam infucatam fore, Deum testor.
 Accipietis illud, vti soletis mea, serena fronte, beneuola mente, experie-
 mini, si placet, animi causa, ad hunc lapidem lydium, qualis sim.
 Quod si praeter spem, me in aliqua re amicitiae officiis excidisse de-
 prehendetis, condonabitis spero. Sin minus monete libere, dein ne-
 gligentiae potius aut errori aut timiditati aut animositati aut cuius
 demum vitio tribuite, quam animo ad fallendum prono & perfido.

Immemor enim vestrae amicitiae vt vobis videar numquam
 concedam. Valete resque vestras feliciter
 agite.

ITta mos est nostrorum temporum, omnes fere studio simulandi & dissimulandi, actionum suarum veros fines modosque obscuritati inuoluunt, immo seipfos abscondere penitus, fatagunt. Interim & hi, qui se versipelles faciunt cum lubet, tacitumque sub pectore nefas versant, quamuis candorem luculentum prae se ferant, & illi boni animi, pectore candidi, artis fallendi nescii, querulas coniungentes voces subinde exclamant: Candor in hoc aeuo res intermortua paene est. Ista cum animi caussa mecum reputarem, operae pretium duxi, quae de simulationibus & dissimulationibus passim obseruauit, colligere. Inde animum ad artificia simulationes & dissimulationes detegendi appuli & in modum ratiocinandi circa haec artificia inquisiui. Ex istis lucubrationibus nata est praesens de artificiis simulationes & dissimulationes detegendi dissertatio, quam beneuolo amplissimi Philosophorum ordinis consensu, cuius beneuolentiam ideo grata mente veneror, publici iuris facere non erubui, & quam inscripsi de prudentia diacritica, ne ipsa fronte statim ardelionum censuras inuitarem & malignas experirer. Quibus praemissis ad ipsum dissertationis argumentum accedo, vbi quidem primum quid sit simulatio & dissimulatio, ipsisque oppositus candor definitione explicabo, deinde an retegi possint & debeant, examinabo, porro fontes, vnde media ad earum resolutionem hauriri queant, aperiam, & tandem applicationem horum mediorum coronidis loco ostendam.

§. II. Ex communi vita notum est, quid candor, quid simulatio aut dissimulatio denotent, siquidem in vniuscuiusque fere sensus incurrit & experientia satis luculenter naturam harum vocum vnumquemque edoceat. Cum vero admodum lubrica sit vocum illarum ex cognitione vulgari significatio & praepostera

A 3

saepe

Confer Gracians oracul & notas Dni D. Mülleri Cent. I. p. 84. 88. 92. III. 395. 757. 622. 691. 26. 38. 324. Cent. II. p. 162. 166. 263. 405. Cent. III. 51. 232. Conradi Junckeri dissert. iuridicam inauguralem de simulatione habitam cIc Ic LXXVI. Altdorfi. D. Val.

saepe vulgi applicatio, liceat mihi ideas horum terminorum definitione determinare & vsui erudito accommodare. Candor itaque in genere quidem spectatus, vti opinor, est motus voluntatis, quo ea de occultandis mediis & finibus actionum suarum non est sollicita. Simulatio vero & dissimulatio est motus voluntatis quo ea fines suos mediaque actionum suarum attentioni alterius subtrahere & celare studet. Differunt autem simulatio & dissimulatio in eo potissimum, quod ista (vti dicitur versiculo notissimo: Quae non sunt simulo, quae sunt, ea dissimulantur) potius consistat in commissione & positione certarum actionum & circumstantiarum, quae attentioni alterius nebulas offundere queunt,

Alberti Prof. Lipsiensis celeberr. quondam dissert. de simul. & dissimul. M. Carl. Gottofr. Ittigii dissert. de simul. & dissimul. Lips. c1o 1o cc VIII. M. Joh. Gottlieb Bohnii de simulatione religionis ipso iure naturae illicita respond. Samuel Wenden Witembergae c1o 1o cc XVIII. habit. Van Gylich Tractatum de simul. & dissimul. quem non vidi. Candor se exserit vel verbis vel factis, ille est veritas ipsa ethica seu veracitas, hic posset dici simplicitas sensu bono, seu bonitas, quo sensu Machiauellus in principe dicit: Discat ergo princeps, quomodo quandoquidem esse possit non bonus Cap. XV. p. 70. Veritas iterum posset diuidi in veritatem in sensu positiuo & veritatem in sensu negatiuo, secundum illam quae vere sentimus & cogitamus exponimus, secundum hanc nihil nisi vere cogitata dicimus, haec ergo magis tacendo se exserit, diciturque taciturnitas. Illa interdum degenerat in varia vitia; in garrulitatem quando incogitanter, quae vere sentimus & cogitamus, effutimus; in traductionem seu obtrectationem, quando quae vere sentimus de vitiis alterius, absque obligatione loquendi, verbis exponimus, cum potius sint tacenda, vulgo dicitur medifance; in περιαιτολογία quando de nobis ipsis absque iure & obligatione loquendi vera quamuis eloquimur, de qua versus illi: Nec te laudabis nec te culpaueris ipse, hoc faciunt stulti quos gloria vexat inanis. Veritas seu veracitas in sensu negatiuo oppositam habet stulti-

queunt, vt longe aliud quam verum videat, haec autem in omif-
fione & negatione criteriorum, quae animum intendentis obser-
uationes allicere possent, vt quae certissime adsunt, attentionem
obseruatoris effugiant, & lateant. Illa virtutes fingit, quae non
adsunt, haec vitia, quae adsunt, tegit.

§. III. Nulla explicatione haec indigent: Candorem dixi
motum voluntatis, huius enim est fines intendere, media hisce
accommodata appetere vel auerfari, eamque praecipue homines
in exsequendis negotiis audiunt. Dixi porro candorem animi de
occultandis mediis & finibus actionum suarum non esse sollici-
tum, quod non ita intellectum volo, ac si semper in apricum po-
neret

loquentiam, quando quae nec sentimus nec cogitamus impuden-
ter garrimus, sic virum honestum & prudentem non decet omnia
sua cogitata deblaterare at vero eundem maxime dedecet de qui-
bus numquam cogitavit absque legitimo fine verba facere &c.
Simplicitas quae ad amissim iuris naturae actiones suas reuocat
dicitur fides, dexteritas, ingenuitas, integritas, quae vero in ius
naturae impingit, vt nimirum damnum inde infligatur alteri
aut in genere societati humanae, nullo adhuc nomine insignita
est, hinc dubito an probabile sit, vt aliquis candore quem actioni-
bus suis monstrat seu simplicitate cordis iura societatis laedere
possit, certe rarissima huius laesionis exempla exstare posse, de-
fectus vocabuli, quo ista laesio notari debeat, arguit. Illa vero
simplicitas, quae contra prudentiam adhibetur, simplicitatis no-
men sed sensu malo retinet. Candori opponitur dolus & falla-
cia, illa quando verbis se exferit dicitur falsiloquium, mendacium,
quando tacet, est reticentia. Falsiloquium directe nemini no-
cet sed a regulis prudentiae dependet, species falsiloquii est ia-
ctantia, mendacium nocet, & si famam alterius laedat, dicitur
calumnia. Fallacia factis dicitur simulatio & dissimulatio, quae
si iustitiam laedit, perfidia, si pietatem, hypocrisis, alias est do-
lus bonus, pia fraus, calliditas, &c. si honestatem duplicitas au-
dit, si prudentiae contrariatur stultitiae species est, &c. confer.
Thomasi instit. iurispr. diuinae L. II, C. VIII.

neret & minus perspicacibus ipse aperiret actionum suarum fines & media homo candidus, sed potius quod candide & aperte ad finem suum obtinendum properet, ita vt nude media fini applicet, nec de fine aut mediis alios celet, aut ad aliorum hominum sententias examinet aut regulis decori accommodet, & parum curet, num alii in adita suarum cogitationum & intentionum circa hoc negotium penetrent siue minus.

§. III. Fines vel praecepti sunt vel prohibiti vel permisi, quae distinctio etiam ratione mediorum obseruanda. Fines praecepti sunt pietatis iustitiae & honestatis, & iure diuino naturali vel reuelato vel iure ciuili humano praescribuntur. Prohibiti his contrariantur & sunt malitiae, ortumque trahunt ex prauis cupiditatibus, intentioni legum diuinarum humanarumque aduersantibus. Permissi sunt vel prudentiae vel vanitatis, illi ex recta ratione & natura obiecti dependent, hi ex defectu iudicii & neglecta intellectus voluntatisque cultura, plerumque ex sibi relicta ratione proueniunt. Media itidem vel sunt prohibita vel permisa vel praecepta. Praecepta iure diuino naturae, reuelato, ciuili humano determinantur, prohibita dicuntur media nequitiae & prioribus contrariantur, permisa ex uniuscuiusque iudicii acumine & arbitrio scaturiunt.

§. V. Ratione horum finium & mediorum differt candor, differt simulatio & dissimulatio. Quodsi omnes homines essent sapientes, nullus foret prudentiae, nullus simulationis & dissimulationis vsus, nemo enim ad fines malitiae animum intenderet, nemo media nequitiae adhiberet, at nemo etiam alterius fines & media pietatis iustitiae honestatis & prudentiae impediret. Cum vero rari boni, vix sint numero totidem quot Thebarum portae vel diuitis ostia Nili, & simulatione & dissimulatione vtendum, eodem quidem iure quo candore vtimur. Candorem igitur ex utilitate vel damno societatis humanae, cuius causa est, iudicandum censeo. Candor ille, quo utilitatem societatis humanae vllatenus promouemus, est praeceptus, & est officium vel virtus, qua fines nostros & media illis accommodata non celamus, ne societati nobisque ipsis damnum inferamus, vllumue inquietemus.

quietemus. Candor vero, qui societati nocet, est vitium, quo fines nostros & media omnibus declaramus nec caute satis occultamus, vt inde proximus aut nosmet ipsi damnum incurramus & incommodum.

§. VI. Ita necessarius quandoquidem est & honestatis candor, ne tranquillitatem animi alterius turbemus, interdum vero & plerumque ferme est prudentiae, vt aliorum nobis conciliemus amorem ac beneuolentiam intentioni diuinae, i. e. honori summi numinis, vtilitati communi & propriae, non contrariam. At vero illicitus est & prohibitus, quando vel iustitiae vel honestati vlllo modo repugnat, pietatemque euer- tit, vel stultus, quando prudentiae contrariatur. Sic illicitus est partim, partim stultus plerorumque hominum candor, aut enim est cupiditas loquendi, temporis consumendi gratia & vitium voluptuosi, aut pruritus ambitiosi ineptus, quo aliis materiam de seipso differendi suppeditare annititur aut mali-
 B tiosa

La Sincerite est donc vne ouuerture du coeur qui tend a nous ouvrir celui de nos amis; ou vne franchise habile, qui nous sert a gagner l'estime & l'amitie des honnêtes gens; ou vne crainte de passer pour fourbe; ou vne inclination naturelle a dire ce que l'on pense; ou vne ambition exquise, qu'on ait vne deference auëgle pour nos paroles. Dans les faux sinceres la fincerite est vne tromperie fine & l'on pent dire qu'en eux l'air sincere est le-moins sincere. La fincerite Chretienne & vertueuse n'est l'effet d'aucun interest, n'y d'aucune passion, non pas même de celle d'etre crû sincere & ceux qui la pratiquent n'ont d'autre vuë que d'obeir a Dieu qui deffend la dissimulation & la duplicité pour maintenir l'vnion & l'intelligence parmi les hommes. Ita Mr. l'Esprit dans la fausseté des vertus humaines I. P. C. III. satis quidem pie sed non satis philosophice disserit. Nulla enim est virtus, ideo nec finceritas, quae non ex vtilitate metienda dum modo vtilitas recte concipiatur.

tiosa & truculenta auari methodus in aliorum irrependi gratiam, quo facilius ipsos deinde circumuenire possit.

§. VII. Pari modo simulatio & dissimulatio discernenda erit, alia est virtus, fines & media actionum suarum ita occultandi, ut societati & nobismet ipsis rite prodesse queamus. Quod si versemur circa praecepta a Deo legibusque cauta, & periculum sit, ne quis perspecta nostra intentione irritos nostros reddat conatus aut impediat, iustitiae est & honestatis simulatione & dissimulatione tenebras ipsi offundere. Quod si vero circa permissa, tum erit simulatio & dissimulatio prudentia, fines & media actionum nostrarum ita occultandi ut propriam utilitatem aliorumque legibus permissam obtineas eo felicius. Alia vero simulatio & dissimulatio malitiosa est, alia stulta: malitiosa est vitium, quo fines & media actionum nostrarum ita obscuritati inuoluimus, ut impune legum diuinarum & humanarum de promouenda societatis utilitate intentionem infringere queamus. Et haec est omnium prauorum affectuum & deperditorum hominum, quorum peruersus animus in quodlibet scelus praeceps ruit. Stulta vero est simulatio & dissimulatio & inepta, quando ex defectu amoris socialis, uti solent auari, omnia simulationis & dissimulationis caligine tegimus, ubi vel candore potius opus quam simulatione & dissimulatione, aut quando ex defectu iudicii, cui interdum amoris socialis defectus accedere solet, parum concinne simulamus & dissimulamus, uti v. g. struthiocamelus qui dum caput saltem virgultis infert satis se latere putat, quamuis monstrosam corporis molem integram persecutoribus exhibeat conspiciendam, seque ipsum prodat.

§. VIII. Ex his patet, candorem pariter ac simulationem & dissimulationem prodire vel ex recta ratione vel ex intellectu affectuum procellis & praeiudiciorum fluctibus agitato, opus esse vel meditationis vel naturae, ab hominibus proficisci vel virtute praeditis, integritate morum conspicuis, probis, nobis amicis, vel ab illis, de quibus obtinet illud: Hic ni-
ger

ger est, hunc tu Romane caueo, esse vel prudentis vel im- prudentis, quandoquidem sapientem quid ni & Christianum decere, quandoquidem stultum aut stupidum aut malignum prodere, pro diuersitate obieci circa quod versantur homines vel pro diuersitate modi, quo circa illud actiones suas for- mant. Hoc interim obiter monere ex memoratis liceat, hu- manum genus, quo magis a vera sapientia, a simplicitate cor- dis, a diuina Philosophia caelitus reuelata recedit, eo magis simulationibus & dissimulationibus inuolui & obrui, & e con- trario quo magis vera sapientia munitur atque perpolitur, eo magis candore conspiciendum se praebere. Deinde generosi & magni animi, iudicii & frontis firmae, mentis sibi consciae recti, recta via incedentis, sibi sufficientis masculae virtutis, prudentiae doctrina & experientia firmatae magis esse, can- dore vti & quasi aperto Marte decernere: prudentiae vero lubricae, timidi astuti hominis, pusilli & abiecti animi sibi que ipsi non constantis, malitiosi, commissi aut committendi cri- minis memoris, vbi tacitus in pectore licitor instat & occulto praecordia verberat intus ariete, huius magis esse simulatio- num & dissimulationum laruis pugnare.

§, VIII. Sed vt propius ad rem accedamus, iam dicen- dum foret, de variis simulandi & dissimulandi methodis, at quis illas enumerabit saltem, ne dicam explicabit, cum sint infinitae? Simulationis & dissimulationis peritus *μυριότεχνος* est, vultu, gestu, nutu, variatione actionum, sermone, relationibus, con- suetudine, risu, gressu, pietate, honestate, amicitia & amicis, iu- dicio, ingenio, ira, blandimentis, obsequio, persuasionibus, iu- ramentis, cautionibus, affectibus, vitiis, virtutibus, inimicis, immo omnibus humanis & possibilibus vtitur mediis, omnes latebras perreptat, sacra profanis, summa profundis miscet, flectere si nequit superos (si malitiosus sit) acheronta mouet, vt fumum vendat aliis, vt nebulas excitet, sub quibus fines & media actionum suarum delitescere queant, vt finem suum obtineat insciis & inuitis aliis, aliosque fallat.

§. X. Quod si quis haec curatius secum pensitet, facile eo cogitando procedere posset, ac si vel impossibile foret simulationum & dissimulationum artificia & arcana referare. At salua res est, tantum enim abest vt impossibile sit in abscondita simulationum & dissimulationum scrinia penetrare, vt potius nullum tam altas egerit radices, nullum tantis viribus tanta soliditate tanto flore luxuriet simulandi & dissimulandi studium, quod non radicitus euellere & floribus suis exuere valeat iustis innixa fundamentis prudentia. Nemo tam apte tam egregie nequere vniquam poterit fallacias, cuius technas non possit renodare iudiciosus & non obesae naris obseruator. Scilicet nulla tam bene excogitata falsitas, quam non soluat veritas: parum virium habet falsitas inquit Cicero, & Terentius: Paullum interesse censes ex animo omnia, vt fert natura facias, an de industria?

§. XI. Meditatio enim & experientia nos artes fallendi edocent, quarum fraudes haud difficulter iterum euertit meditatio & experientia. Eruditio & prudentia conuersandi tanta cepit nostra aetate incrementa, in eumque euecta est perfectionis gradum, ex quo tamquam ex specula quadam, in omnium hominum actiones & fines, quos vel maxime abscondunt, introspectiendi patet aditus. Accedunt non leuia circa simulandi & dissimulandi negotium momenta, quibus retegendi illud prudentia & ratiocinandi vis subleuatur. Alii enim qui hisce artibus se muniunt, iis rite vti nesciunt, Dauidi sub armatura grauissima & duplici Sauli & cothurnato incedenti similes: Alii curae pretium iis vti non ducunt: Alii ex erroneo

Circa simulationem & dissimulationem in genere circa omnem fallaciam quaedam occurrunt circumstantiae eaeque haud paucae, quae absolute occultari nequeunt. Dubito igitur an vlla vniquam fallacia satis lateat? vid. Germani Constantis *Moralischen tractat von der liebe gegen die personen andern geschlechts* Abth. I.

neo de vitiis & virtutibus conceptu virtutes celant, vitia stulte probant & produnt: Alii quidquid saltem virtutis speciem praebet ostentant, non cogitantes exinde etiam cognata vitia concludi posse. Interim cum solus perfectissimus sit omnibusque numeris absolutus cordis scrutator Deus rerumque probator, humana imbecillitas in hac prudentia non altius, quam ad veritatis gradum debiliorem, ad probabilitatem ascendit, vbi formido oppositi quo minus demonstratio robore concludi queat, impedit.

§ XII. Maxima tamen & ista simulationes & dissimulationes retegendi facultas se commendat vtilitate. Praeparat enim mentem vt verum a falso probe discernere queat, vitia a virtutibus, simulacra virtutis a veris virtutibus, vt, quid sentiant homines, eruere & ab eo, quod in ore ferunt, seponere possit, vt amicis vti, inimicis obuiam ire sciat, vt mala sibi & societati imminetia praeuideat & auertat, commoda promoveat. Et cum hodie non nisi armatis oculis & manibus, vt ita dicam, conuersandum sit, & spissas saepius caligines penetrare & aculeatos hominum animos tractare debeat prudentia, quis quaeso artem contemnet, cuius auxilio, quoad eius fieri licet, oculorum mentis aciem sibi comparare, mentem animumque armare possit?

§ XIII. Iam igitur paucis & rudiori saltem penicillo sensationes istas adumbrabimus, ex quarum conuenientia quam optime simulationes, & dissimulationes hominum, etiam inuitis & insciis illis in apricum ponuntur, ex quarum contemplatione, de vera & recondita intentione eius, quem scrutari & excutere nobis proposuimus, meditationes nobis subnasci poterunt. Omnium certissimas & vtilissimas suppeditat nobis historia hominis in genere, quae est cognitio substantiarum & accidentium hominis, omnibus omnino hominibus communium, quae quamuis diuersimode modificentur & gradu actiuitatis inter se differant, quoad naturam suam tamen omnibus omnino insunt hominibus. Dispersitur historia hominis in historiam

corporis, intellectus & voluntatis, in historiam generationis, vitae & mortis, vel alio nomine in historiam hominis physicam & moralem, vnde vniuersalissima & generalissima indubitatae certitudinis simulationum & dissimulationum indagatori subministrantur axiomata.

§. XIII. Amplissimum ista hominis historia mihi aperit dicendi campum, sed ampliorem, quam qui huius dissertationis cancellis includi possit. Forsitan alio tempore istud decurrere stadium mihi dabitur facultas & occasio, aut alius quispiam, neglectum fere hoc, vtilissimum tamen argumentum sibi sumet pertractandum. Interim vnico saltem exemplo rem illustrabo: v. g. Adiurat aliquis per omnes deos deasque, per omnia sacra, se tanto in me flagrare amore vt vel mortem pro me subire & sanguinem effundere haud detrectet: Respondeo ipsi gratias agendo, at ne minimam quidem ideo ipsi fidem habeo, noui enim ex historia hominis: Omnes homines sibi malle melius esse quam alteri, ipsum ergo tam eximium erga me amorem simulare, coniiicio. Sic omnes mortem timemus & quamuis sint, qui illam verbis contemnant, mors tamen prope admota magnifica verba excutit. Sic omnes meliores malunt apparere quam esse, omnes impatientes correctionis & veritatis paullulum acerbae, quamuis illam vel anxie sibi ab altero expetant, omnes amicis bene cupiunt, inimicos odio habent, omnes sui similes saltem firmiter amant, omnes contemptum aegre ferunt, pecunias quaerunt, iniuriam illatam lubentes vlciscuntur, omnibus vt res dant sese ita magni & humiles sunt quamuis contrarium simulent.

§. XV. Atque ista quidem ex historia hominis generali depromuntur, ceteri qui sequuntur mediolorum simulationes & dissimulationes retegendi fontes, omnes ex historia hominis speciali, quae diuersos diuersorum hominum mores, diuersos fines, diuersimode conspiciendos, rerum naturalium & moralium scrutatori, exhibet, scaturiunt. Primam, inter hos nomino Physiognomiam quae est notitia, ex membrorum ho-

minis

minis proportione, signaturis & habitu corporis de interna mentis & animi indole coniecturam faciendi. Latissime patet haec notitia & varia fortitur nomina, dicitur Metoposcopia quando ex fronte & vultu, Melomantia quando ex membris humanis, Anthropometria quando ex proportione membrorum, Chiromantia quando ex manibus, Podoscopia quando ex pedibus, Gelatoscopia quando ex risu hominem cognoscere studet, quae nomina augeri possent, si ex gestu corporis, ex gressu, ex modulatione vocis, ex oculorum motu, colore &c. Physiognomiae species adderentur.

§. XVI. In varias de praestantia Physiognomiae sententias abire auctores constat. Sunt qui nihili pendunt quidquid pro dignoscenda animi indole ex Physiognomia affertur, sunt qui magnifice admodum de ea sentiunt, vt etiam fata hominis inde colligi posse autument. Sed iudicemus Physiognomiam non ex opinione sed ex veritate & cum in studio simulationes & dissimulationes retegendi omnia probabili concludendi ratione procedant, non ex vnica & sola Physiognomia iudicandum erit, quae vnica foret sensio, sed ex connexione Physiognomiae cum reliquis circa hominem phaenomenis. Deinde ex Physiognomia non de futura hominis fortuna proxime, sed de indole animi prius calculi ponendi sunt, quam fortuna plerumque sequitur. Et tandem variae Physiognomiae species variis certitudinis gradibus differunt, e. g. eminent inter omnes illa, quae ex vultu, fronte, oculorum motu, colore, interstitio, obseruationes instituit, nullus e contrario vsus est eius, quam podo.

Cur de praestantia Physiognomiae adeo dissentiant hominum iudicia, id ex ignorantia partim Physiognomiae partim verae probabilitatis factum puto. Mirandum interim eos qui Physiognomiam nihili faciunt, primo tamen intuitu statim, natura veluti duce, conceptus sibi de indole alterius formare. Certe facies externa la façade de l'homme sagaciorum perspicaciam plane effugere nequit.

podoscopiam dixere. De cetero ex cognitione de impressione materna, formatione foetus in vtero, aliisque caussis physicis & moralibus, experientia, immo ex sacris litteris Syrach. XIII. v. III. Prouerb. VI. v. XII. XIII. &c. euinci potest, non sperendam esse Physiognomiae notitiam. Et prorsus mirabile videtur homini harum rerum gnaro, esse, qui simulare & dissimulare enixe studeant, cum tamen proditores intentionum suarum, vt ita dicam, ipsi in oculis ferant.

§. XVII. Interna corporis constitutio & humorum variae mixturae, quas temperamenta vocant corporis, non parum ad referandum pectoris scrinium faciunt. In vulgus nota sunt quatuor ista temperamenta corporis, sanguineum, cholericum, melancholicum, phlegmaticum, quae organa quibus vtuntur intellectus & voluntas varie disponunt. Nescio an ab illis animi indoles dependeat, an potius ab indole animi dependeant temperamenta corporis, an inter se necessario nexu cohaereant an minus. Hoc scio, temperamenta corporis nunquam ab indole animi vel corrigi vel excitari vel debilitari & indolem animi quandoquidem rursus a temperamentis corporis affici & vel stimulari vel impediri. Inde & temperamentorum corporis auxilia ad perrumpenda simulationis & dissimulationis clathra non infelici successu tentari posse nullus dubito.

§. XVIII. Quandoquidem morbi adminicula suppeditant, vnde simulationum & dissimulationum patefcant artificia. Et certe qui Theologos & Iureconsultos honestissimis scite in speciem moribus decepit, si affectibus paullo liberius clanculum indulserit, vt inde in morbos inciderit, Medicos circumuenire non potest, hi enim caussas morborum rimantur, quas vel ipse illis coactus aperit. Inde est quod ceu deos tutelares se interdum necessarios reddere sciant Medici. Sed & aegrotantium mores dum anxie curationem desiderant, dum nimis conqueruntur de cruciatibus morborum, dum mortem vel fugiunt,

unt, vel exspectant, vel appetunt, quidquid sanus simulatione & dissimulatione antehac texit, in apertum producunt.

§. XVIII. Per Astrologiam seu ex constellationibus planetarum, constitutione astrorum, thematibus Astrologicis, hominis indolem cognoscere, vti lubricum valde & vanum est, ita in explorandis simulationibus & dissimulationibus Astrologiae nullus vsus. Multo minus vero Geomantiae, qua ex coniectis quibusdam punctis & inde formatis figuris de quaestione proposita iudicium instituitur. Nonnumquam ex somniis animum hominis cognoscere licet, siue fingat ista siue minus, hinc dum simulationes & dissimulationes perumpere quis tentat somnia narrantem molliter audiat.

§. XX. Cum oratio vitae sit speculum & cantu dignoscatur auis, sermonem hominis, quem simulare aut dissimulare suspicamur, attendere debemus. Sermonis notanda pronuntiatio, tonus, ordo, numerus, stilius, maxime vero contenta, praecipue ad *περιαυτολογίαν* alicuius aures arrigendae sunt, quomodo a vitiis se actionesque suas liberet, virtutes suas laudibus ornet. Negant interdum, qui loquuntur, affirmanda, affirmant neganda, interdum aperte veritatem profitentur, vt te in contrariam abducant sententiam teque lateant. Quod si sermonem in id dirigas, quod cognoscere cupis, si vel maxime indifferens videatur alter & taciturnus, non poterit non tibi subsidia veram animi sui intentionem declarantia suppeditare, dummodo iis scienter vtaris. Eapropter contradicendum ipsi quandoquidem, quandoquidem assensus praebendus licet etiam temere, quandoquidem auribus ipsius aliquid dandum, historiae intentioni ipsius verosimiliter conuenientes narrandae, iudicium ab ipso expetendum & ipse quid sentiat, tibi vel inscius & inuitus explanabit. Licet etiam fingendo verum assequi, vel ex fictionibus, quas alter nobis pro veritatibus venditare studet, vel quando ipsi fictionibus venuste compositis attentionem ipsius occupare allaboramus, qua occasione diligens obseruator facile dignoscet quid distent aera lupinis,

C

§. XXI.

§. XXI. Eo felicius vero ipsi scrutatori succedet negotium, si cognitione sui ipsius strenue iudicium exercuerit ante, quam alios cognoscere studet. Quamuis enim alios ex suo ingenio iudicare suoque metiri modulo non procedat, immo in errores non leues & prudentissimum quemque interdum implicare valeat, attamen dum proprias quis sentit cogitationes & volitiones, immo suas alterum fallendi nouit artes, modum quo mens ratiocinatur & vnum ex altero colligit, quo animus concupiscit vel auersatur, variosque tumultus motusque excitat, perspectum habet. Inde non ab similem in altero intellectus voluntatisque modum procedendi arguet. Vti enim ex similitudine Physiognomiae eius quem nouimus cum alterius vultu quem noscere cupimus, non temere similitudinem morum coniecimus in vtroque, ita ceteris paribus ex interna intellectus voluntatisque actionumensione ad possibilem in altero, similem nostro, processum recte concludimus, cum praecipue animus vniuscuiusque siensionem internam rite adhibeamus, diuinet alterum simulare vel dissimulare, & vel inuitos nos in suspicionem deducat.

§. XXII. Ipsi vero qui seipsum bene nouerit perquam familiare est, vires intellectus alterius voluntatisque cupiditates & auersationes nosse & ex his cognitis simulationes & dissimulationes alterius euoluere. Vigor enim intellectus cum non omnium idem sit, non omnium quoque eadem est fines suos occultandi aliosque fallendi ratio & prudentia. Quandoquidem vel intellectus sibi relicus, adhuc nullam expertus est culturam, quam alii vel experientia & vsu viuendi, alii regulis & instructione sibi comparauerunt: vel diuersis interdum principiis imbutus est philosophicis aut diuersis studiorum generibus. Vel denique facultates ipsius, memoria, ingenium, iudicium diuersimode attemperatae & mixtae, ex quibus omnibus non leuia simulationes & dissimulationes retegenti suppetunt adminicula. Sic e.g. iudicioso magis dissimulatio, ingenioso magis simulatio procedit, vtraque destitutus facultate inepta

inepta fere simulatione & dissimulatione aliis imponere tentat, vtraque probe instructus scite admodum & composita aliorum attentionem eludit. Sic Philosophi sectarii, inprimis Stoici, deinde Haeretici, Pietistae, porro Politici qui in aulis versantur nec non Theologi magis quam ceteri ad fallendum simulatione & dissimulatione proni, quod quidem Politicis & Theologis vitio verti nequit, horum enim est regnare, iam vero qui nescit simulare & dissimulare, nescit imperare.

§. XXIII. Maximam autem in hac prudentia praebet utilitatem cognitio voluntatis & affectuum eius, nimirum voluptatis, ambitionis & avaritiae. Vnusquisque horum affectuum certis gaudet virtutum simulacris, certis notatur vitiorum criteriis. Proprius amor efficit, vt affectibus dediti simulacra virtutis prodant, & ita virtutes simulent, criteria vitiorum abscondant, & ita vitia dissimulent. Perpicax harum rerum scrutator, ex virtutum, quae videt, simulacris facile eo cogitando deueniet, adesse forsitan vitia hisce cognata simulacris. Attendendum quoque praecipue ad affectuum characteres primarios, quos vel ipsi affectibus dediti simulatores & dissimulatores omni arte sua abscondere nequeunt. Deinde ad qualemcumque voluntatis emendationem, quam aut experientia, aut meditatio, aut praeiudicia aut affectus ceteri aut pertinacia quaedam effecerunt. Quod si vel maxime simulationum & dissimulationum periti sint, qui se affectibus dedunt, solertis tamen indagatoris acumen eludere nequeunt. Interdum enim in contraria stulti dum vitant vitia currunt, interdum ad actiones suas mentem non aduertunt, interdum consuetudinem vincere non valent, interdum parum curant, num alter affectus, quos sequuntur, aut fines, cognoscat siue minus, interdum hebetioris illum opinantur iudicii, quam qui laruam ipsis detrahare calleat, interdum temporis praepediti angustia fallendi cuculionem induere, aut simulationis & dissimulationis *μορμολυκείον* aliis obuertere non potuerunt. &c.

§. XXIII. Actiones hominum vti affectus produnt, ita
C 2
& ipsae

& ipsae simulationum & dissimulationum nonnumquam sunt proditores. Actionum considerantur fines, seu principia agendi quae ad agendum hominem inducunt, deinde media eorumque ad finem obtinendum applicatio, & tandem illarum connexio seu pugna. Fines actionum vel ab affectibus vel recta ratione praescribuntur, hanc omnes praetendunt, illos re vera sequuntur. Pariter in electione & applicatione mediorum ipsius sapientiae thesauros sibi videntur spoliasse, qui tamen vel ab affectibus occoecati sibi ipsis in consideratione mediorum imponunt, vel casu & fortuna adiuti stulte ex eventu de praestantia mediorum, quibus vsi sunt, iudicium formant. Vtrumque facit ad remouendum simulationis & dissimulationis velamen, maxime vero connexio seu harmonia actionum. Quod si omnes conspirent in certum aliquem finem aut conceptam de fine opinionem, certiore de fine facient scrutatorem. Si vero vel vnica quae cum ceteris minus accurate cohaeret, hiulcam, vt ita dicam, hominis ostendet vitam, mox rimatim penetralia cordis speculari licebit, & vel callidissimum panurgum simulantem & dissimulantem quatefacere. Circumspiciendum tamen, an aliquis ex sententia aliquid pertinaciter agat, an ad aliorum aut arbitrium aut imitationem viuat, an ex consuetudine, cuius maxima vis est, quaeque vel maxime intentum abripit, actiones proficiscantur, & ex his circumstantiis de actionibus iudicium circa simulationem & dissimulationem temperandum.

§. XXV. Impedit vero ex actionibus aliorum earumque harmonia & connexione coniecturam vel certe difficilem reddit, quod rarissime hominem extra affectationem videmus. Ideoque omni nisu efficiendum, vt extra affectationem cum ipso conuersemur, vel aliorum cum ipso conuersationem expissemur, quando nimirum affectuum vehementia attentionis & cautio-

Ipsa interdum & vt plurimum quidem dissimulationem & simulationem prodit affectatio. Est ea vultus membrorumque ad certos fines animo conceptos compositio artificiosa, quae

cautionis iugum discutit, aut animus sibi relictus varia phantasmata format, aut meditabundus apparet, aut quando quis genio liberius paululum indulget, ebrius, iratus, amore captus, rebus secundis excitatus, aduersis afflictus est. Vt etiam interdum ipsi affectionem alterius confundamus, impetus in affectum quem simulatum aut dissimulatum esse coniecimus faciendus, qui si prudenter, sed legibus iusti & honesti attemperatus, instituatur, immane quantum simulationum & dissimulationum circulos turbabit.

§. XXVI. Relationes aliorum iucundum & singulare admodum exhibent simulationes & dissimulationes detegendi medium, quas Verulamius Lib. I. de augm. Scientiarum quatuor absolui speciebus innuit. Aliae enim sunt amicorum, aliae inimicorum, aliae familiarium & intimorum aliae famulorum & domesticorum. Ex amicorum ore encomia proficiscuntur, quibus tamen semper suspectam habebis fidem & potius attendes, quando de vitiis quidquam fateri coguntur. Ex inimicis vitia audies eius, quem cognoscere studes, sed his etiam aliquid, quod nimirum affectus, quo feruntur, adiecit, detrahes, interim quando necessario virtutes alterius magni faciunt, auditionem ipsis praebebis impensiolem. Familiares & intimos iam magis iam minus, prout ab affectu ducuntur, ad eiusmodi relationes promptos offendes, at maiori circumspectione opus est, dum illas elicis. Fictionibus interim varii generis, contradictionibus, simulationibus & dissimulationibus, blanditiis, quaestiuiculis primo intuitu inanibus, adhibita conuersandi, potandi, affectibus propriis & alterius vtendi arte, nihilominus propositum obtinebis. Vel in ipso vultu eorum quod quaeris legere poteris, dummodo caute & callide satis processeris.

cum artis sit opus, non vero naturae, numquam satis tuta latet. Iam fines transgreditur mente conceptos iam ideam quam formare cupit non adimplet, mutatur in horas, metu confunditur, & infinitis modis mentem obseruatoris sollicitat.

Famulos & domesticos tandem quod attinet, horum quasi torrens fertur oratio & loquendi libido, quidquid in buccam venit apertis faucibus euomunt, nullius rei, nullius pietatis, nullius fidei habita ratione, quod quidem, (vt est abiecti de fece plebis animi,) sibi gloriae ducunt, visa & audita, inprimis arcana & res alicuius momenti, proximo cuilibet incogitanter deblaterant & quando libere loqui non licet, tacite risu, actionibus produnt. Rarissime dominus cuiuscumque sexus habebit domesticos, qui reticere ipsius arcana, si semel introspexerint, possint, & raro admodum domini rationem aut reuerentiam domesticis suis habent. Hinc satis dilucide quomodo median-tibus his dominorum simulationes & dissimulationes facili negotio patefcant, apparet.

§. XXVII. Tandem ad externas quoque ipsius, quem fallere simulatione aut dissimulatione suspicaris, circumstantias animus aduertendus. Considerandi parentes, clima, locus natiuitatis, domicilii, cognati, educatio, status, vitae genus, sexus, conuersatio, amores, socii, vxor, liberi, domestici, officia, munera, nutrices, praeceptores, amici, inimici, religio, cultus externus, diuitiae, aetas, oeconomia, victus & amictus, itinera, litteras exarandi habitus, somnum capiendi ratio, animalcula quibus delectatur, libri, lusus, musica, exercitia corporis, mores consueti, studia quibus tempus terit, patroni, clientes, &c. & quidquid illum circumdat aut vllatenus cum ipso cohaeret aut ab ipso proficiscitur. Et quae fallaciae antea recensitis medijs adhibitjs non patefcunt, eas certissime obseruatione circumstantiarum externarum, leuissimarum & abiectissimarum saepenumero, expiscari licet.

§. XXVIII. Ad molem libri excresceret dissertatio, si haec vltcrius diducere & flore orationis, adscitis veterum auctorum sententijs dieterijsque, historiarumque monumentis, luxuriosius vestire vellem. Ergo regulas saltem adiiciam pro fontium iusto vsu & mediorum inde promanantium recta applicatione. I.) Itaque vnicuique suspectam fidem habe, caue
ramen

tamen ne ideo inhonestum iudices aut circumscriptorem. Quod si iam excutiendus sit quem simulare aut dissimulare, suspicaris, II.) ad obiectum cuius gratia fines & media illum concipere tibi imponere putas, & an tanti sit, vt prudentem circumspectamque tractationem postulet, attende, III.) Vires intellectus voluntatisque alterius perpende, & quantum sibi in arte fallendi habitum contraxerit aut quousque in ea procedat. IIII.) te ipsum serio rimare, an ipsi dignus videaris, cuius causa simulatione aut dissimulatione uti, curae pretium duxerit. V.) Caue sedulo, ne alteri vllomodo suboleat, quam foves, diffidentia, simula ac si plenissimam ipsi fidem haberes, dissimula prudentiam, qua ipsum euoluere niteris. VI.) Ad omnia vel saltim plurima, quae quidem adsunt tibi succurrunt, recensita momenta, quasi aliud agendo mentem adiace. VII.) Tunc omnes possibiles de vero alterius fine meditationes ingenio concipe & si vel maxime absone & remotae primo intuitu videantur. VIII.) Memento te circa probabilia versari, itaque omni nisu a praecipitantis praeciudicio, temeraria mentis determinatione tibi tempera, multo magis ne incauta garrulitate praematuras adhuc & alta mente reponendas cogitationes exoneres, caue. VIII.) Iam denique possibiles hos de alterius intentione simulata aut dissimulata conceptus cum enarratis reg. VI. momentis curatius confer, & ex collatione eorum cum hypothesebus reg. VII. probabilem hypothese formam, eamque cum formidine tamen oppositi possibilis pro vera accipe. X.) Oedipus quamuis sis hac ratione, omni studio Dauus appare, verba, mores, actiones, intentioni ipsius, in quantum quidem licet, assimila, iamiam deceptum te simula. XI.) Noli cuiquam affectuum post exantlatum alterius animum indulgere, praepriis irae, impedit enim ira animum, ne possit cernere verum, sed potius XII.) aequo animo rationem, quae illum ad simulandum aut dissimulandum induxerit, pensita, quae vltius, quid tibi agendum secundum iusti honesti & decori regulas, te monebit.

§. XXVIII.

§. XXVIII. Crebro harum regularum exercitio & so-
lerti cultura, tandem tibi parabitur prudentia simulationes &
dissimulationes detegendi, quam nunc demum definitio habitum
media & fines, quos alter occultare variis artibus studet, rete-
gendi, vt cognitis his ab illo expectanda aut timenda cogno-
scamus, & quomodo cum illo conuersandum sit, sciamus, in
nostram aliorumue licitam vtilitatem. De cetero iungas pru-
dentiae huic generosum animum honestumque, & difficilius te
ab honestate & virtute quam solem a suo cursu dimoueri pa-
tiare. Vile & sordidum puta, parum circumspecte simulatio-
num & dissimulationum technis irretitum fuisse, deinceps vero
aut ira, aut tristitia, aut vindictae cupiditate, aut querimoniis,
anicularum more, abiecto animo solatium praebuisse. Glorio-
sum vero crede, insidias ab aliis paratas tibi vero perspectas
confudisse, machinamenta ab aliis exstructa magnoque studio
& labore congesta flocci pependisse, & fallendi artem aliis ani-
mo generoso sibi que sufficienti condonasse.

AVCTARIVM.

- 1.) Homo infelicissimum omnium est animalculum & non est.
- 2.) Eruditio facit ad emendationem voluntatis & non facit.
- 3.) Logica est doctrina rectae rationis & non est.
- 4.) Physica est scientia & non est scientia.
- 5.) Virtus est summum bonum & non est.
- 6.) Vtilitas propria est principium Iuris naturae & non est.
- 7.) Ad Decorum obligamur & non obligamur.
- 8.) Medico Physicae cognitio prodest & non prodest.

TANTVM.

Coll. diss. 17.31, misc. 64